



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO LOGICA
POSTERIOR
DE
COPULA EST.

Quam
PRÆSES
M. FRIDERICUS VICCIUS

Vratislaviensis,

&

RESPONDENS
GOTTFRIDUS KIRSTENIUS

Beraftadiensis,
SILESII,

Publicè ventilandam Eruditis proponunt.
In Auditorio Minori
ad d. XVII. Septembris horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ
è Chalcographeo JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
Anno 1653.



IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

M. FRIDERICUS VICIUS

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN





Antefatio.

Quod ad Oratorem in Arcopago præ-
co proclamabat: *ἀνευ τῶν ὀνομασίων καὶ παρὰ τῶν*, observa-
mus hoc loco, & antefatione omni posthabitâ con-
ferimus nos ad discursûs Logici continuationem &
pertractationem. Sequitur itaque thesis sive paragraphus

25. Ita vero etiam hic progrediemur, ut anteponamus
nostram sententiam de Tropo, & de Copulâ & demonstremus,
quam Copula non capax sit tropi (quem ipsi imponunt,) ex na-
turâ ejus & ipsius quoq; Copulæ & de hinc videamus Adver-
sariorum disensus atq; argumenta cum Responsionibus.

26. Quid tropus sit ipsa fermè Etymologia nobis aperit.
Descendit à *τρέπεσις* s. vertendo, quoniam vocem à significa-
tione propriâ in aliam commutat. Unde à Quintil. l. 8. c. 6. de-
finitur quod sit verbi vel sermonis à propriâ significatione in a-
liam commutatio.

27. Hinc, quemadmodum propria vocis significatio est,
quam auditâ voce concipimus omnes, absq; cogitatione fun-
damenti tropi alicujus; ita contra tropica illa appellanda, quam
non statim voce auditâ; sed svadente demum necessitate conci-
pimus cum cogitatione fundamenti alterius significationis cu-
jusdam. Sicut auditâ voce hominis non statim concipimus pi-
cturam aliquam hominis; sed potius ipsum hominem: cum ve-
ro contextus & circumstantiæ ostendunt, non esse sermonem
de homine vero; sed picto necessitas svadet, ut neglectâ signi-
ficatione primâ concipiam illud quod similitudinem hominis
gerit sc. imaginem hominis. Rationem cur diversæ signifi-
cationes sint introductæ dat Arist. l. 1. Elench. Sophist. c. 1.

28. Sic vidimus ex definitione tropi & Naturâ, quale de-
beat vocabulum esse, in quo ille suum obtineat locum, signifi-
care

care sc. debet rem, quæ mutetur dehinc in aliam significatio-
nem.

29. Sed consideratō subjectō Propositionis, quam tracta-
mus, conferimus nos ad Prædicatum, scil. Copulam, ostenden-
tes, illam non ita sese habere, ut tropum possit suscipere, dum
propriā careat significatione, ut ostensum supra est.

30. Quomodo namq; istud quod non significat, in aliam
poterit mutari significationem. Concludimus cum Philoso-
pho: Non Entis nulla esse accidentia. Jam copula ista ita se
habet, ut non significet. Ergo etiam istius significatio mutari
nequit. B. Meisn. q 3. sect. 1. p. 1. Ph. sobr. ita colligit: Quod per
se nihil significat, id significationem suam amittere, & alienam
induere non potest. Copula per se nihil significat. Ergo &c.

31. Et, si Copula EST amittere debet suam significationē
& induere aliam, quod omnino necessum, si tropum suscipere
debet, tum ipsa quoq; Propositionem destruet ne amplius sit
propositio: e. gr. si in hac: Hoc est Vinum, τὸ Est mutat signifi-
cationē uniendi & copulandi, sequetur non amplius coherere,
Hoc est Vinum, nec amplius manere Propositionem.

32. Tropi insuper ea natura est, ut sit in Propositionis
voce quæ certam in illā constituat partem. Jam v. Copula cer-
tam axiomatis partem non facit, ut mox audiemus.

33. Præterea Tropus est in voce vim argumenti habentē
Logici. Sed omne argumentum aliquid necessario signifi-
cat. Copula nihil. Et, si τὸ Est erit argumentum, Propositio hæc
Cæsar est homo, tribus constabit argumentis, quod αὐτὸς
Φοῦ. Immo si τὸ EST argumenti nomen adimpetrabit, cur
non etiam τὸ ET, AUT, SI, eodem modo talia vocitabuntur?
Plurā hic pro nostrā sententia non adducemus argumenta,
dum ex istis res clara abundē sit.

35. Antequam vero ad Argumenta Calvinianorum re-
spondeamus, distinctio præmittenda, nempe Copulam sumi vel
per se, & solitariè, vel ratione materialis significati. Hoc mo-
do, quat: cum prædicato totali coalescit tropum sustinere po-
test. Sic in hac Propositione: Herodes est vulpes, non τὸ Est;
nec vulpes; sed totum hoc, esse vulpem in Herode est tropicū;
ita

ita tamen ut radix & fundamentum Improperietatis semper in
prædicato materiale sit ex quo esse illud, quod in copula impor-
tatur, tropicum & improprium evadit. Sed illo modo, quo
nos & Adversarii Copulam accipimus, summa nunquam tropi-
capax est.

36. Argumenta Calvinianorum, quibus probant tro-
pum τὸ Est habere, sunt petita ex Philosophia, ex Scripturâ S. &
ex Philologiâ.

37. Eorum, quæ ex Philosophia petita, unum tantum
solvere animo sedet, quod tale est: Si copula recipit analogiam,
recipit etiam tropum. Sed verum prius. Majorem probant, &
dicunt: Analogiam esse duplicem, proportionis unam, quæ fa-
cit metaphoram, attributionis alteram, quæ facit Metonymi-
am. Minorem stabiliunt seq. modo: Nam si dico, dicunt,
Homo est animal, homo idem est essentialiter quod animal; si
vero dico: homo est doctus: ibi accidens τὸ Est notat. Sed τὸ
Esse de substantiâ & Accidens dicitur ἀναλόγως. Ergo de U-
nionem illa etiam τὸ Est ita dicitur, & per consequ. copula meta-
phoram sustinet.

38. Sed Respondemus. Neg. Minorem. Copula enim
qua talis nullam sustinet ἀναλογίαν; sed simpliciter necit χέσιν
s. respectum & Identitatem seu unionem illam, quæ est inter
Subjectum & Prædicatum.

39. Et posito, concedenda illa esset Analogia, tamen,
non per se, & immediatè est & fundatur in Copula EST; sed vi
& mediante prædicato in copulam transfertur. Inde ergo prius
in Prædicato, quam Copula tropus esset quærendus. Et posita
Analogiâ, tamen non Metaphora; sed potius metonymia habe-
ret hic locum, cum Analogia Entis ad substantiam & Accidens
non proportionis sit; sed attributionis. Immo nec omne Ana-
logum importat Improperietatē sed quoddam arguit eminenti-
am. V. Gutk. Log. div. p. 457.

40. Dein, quando dicitur, quod τὸ Ens de substantia &
Accidente dicatur ἀναλογικῶς, concedo; sed tunc Ens est tran-
scendens. Verum ita τὸ est in hac Propositione locum non ha-
bet. Non enim ibi ut transcendens; sed simpliciter ut Copula

f. nota unionis & Identitatis ponitur. Quæ unio & Identitas primario ex rebus, non autem ex copulâ dependet. *Vid. Reg. p. 49. part. 3. Log.*

41. Pergunt, ut Zwinglius, (qui glossam $\tau\delta$ Est ex nocturno quodam monitore, de quo an ater, analbus fuerit non meminit, se didicisse refert, in lib. cui tit. Coron. de Euchar. p. 2. oper. fol. 249) Beza, alii, & fundamenti loco propositiones quasdam sacramentales, & alias, itidemq; profanas proponunt in quibus $\tau\delta$ Est aliter non explicari posse, quàm per $\tau\delta$ significat, autumant, quibus ita positus stabilire contendunt $\tau\delta$ EST quandoq; tropicè explicandum.

42. Sed respondemus ex Canone Logico: A particulari ad Universale N. V. C. Et ad concludendum $\tau\delta$ EST in Propositione Sacramentali denotare *significat*, non sufficit, ut hoc, isto, & illo in loco (quod tamen etiam nondum asserimus,) usurpetur ita; sed requiritur, ut istam significationem semper habeat, atq; obtineat, quod Adversarii probare nunquam poterunt.

43. Infringere multis Instantiis istud argumentationis genus datum nobis est. e. gr. Non valet: $\omega\upsilon\mu\alpha\lambda\iota\upsilon\epsilon\upsilon$ alicubi significat regnare, Ergo & quando Christus ad Petrum dicit: Pasce Oves ut Pontificii volunt *V. Meisn. part. 2. Ph. sobr.* Hinc & D. Keslerus *sect. 1. de Illeg. Disp. Phot. Meth. m. 4. § 5* refutare habet Photinianorum thesin, qui nudum posse aliter intelligi, sufficientis volunt esse Responsionis. Recte hic istis ita argumentantibus objicitur Canon Logicus: A posse ad Esse non V. C.

44. Huc faciunt multum Megalandri nostri Lutheri verba quæ habet 3. Jen. Germ. fol. 340. Wenn schon dieser grund das EST sol heißen significat Exempel in der Schrift hette/ Dennoch wehre darmit noch nicht erwiesen/ daß auch in den Worten/ Das ist mein Leib/ solte und mußte genommen werden/ das werden sie mier nimmermehr beweisen/ das weiß Ich fürwar: denn es gar viel ein anders ist/ wenn Ich sage das mag so heißen/ und wenn Ich sage/ das mus so heißen/ und kan nicht anders. Et alibi Ipse hunc in sensum: $\mathcal{E}\mathcal{S}\mathcal{T}$ gilt hier nicht mögen; sondern müssen.

45. Ex-

45. Exempla, quæ ex scripturâ proponunt hîc recensere supersedeo, quippe quæ ad alias scholas pertinent. Interim videatur D. Meisn. in Phil. sobr. part. 1. pag. 192. seqq. & alii.

46. Tandem ex Philologiâ istud probare mirum in modum nituntur, & proponunt defectum peculiaris vocis in Linguis orientalibus, quæ responderet τὸ significat, ut ideò adhibendum fuerit semper τὸ EST. Hinc Constantinus L. Empeur ab Oppyckel. 3. de litera & sens. verb. Instit. c. 6. p. 132. inquit; Ebrei & Syri olim destituebantur hac voce, quæ denotabat significat, & ejus loco adhibebant τὸ EST: ut ideò etiam servator noster in S. Cœna dixisse videatur: Hoc est corpus meum; quamvis potius significaret Panis, quam re ipsa esset Corpus Christi. Hæc ille.

47. Respondetur, Si ἐκ ἐπιμέτρου & ex abundantia concederetur, τὸ EST ob penuriam vocum, officii partes ly significat, explere, nondum tamen evictum esset, verba illa in S. Cœnæ Institutione inter se simili successione jure devincta esse. Quemadmodum non sequitur: Verbum *Habeo* non habent Syri, & pro eo mira constructione, & Latine affini utuntur Δ Δ Est mihi, Ergo ubique idem valet τὸ Δ Δ quod habeo, nunquam τὸ EST. Neutiquam V. Dilher. Rud. Gramm. Syr. p. 248.

48. Porro non ad lancem Syriacæ versionis; sed græci textus authentici Adversariorum dogmata appendimus, quippe in quò DEUS diplomata sua ad nos exaravit. Jam vero labium Græcorum non destituitur verbo, quod notat exprimitq; τὸ significat. Habet enim τὸ σημαίνει, (unde Ebraum יָדוּ pro-venisse, sed me judice malè, quidam putant) Atq; sic Evangelistis dicendum fuisset: τὸν σημαίνει τὸ μᾶσῶν. Quemadmodum Teophyl. in Explicatione Enallages Adjectivorum numeralium quæ occurrit in phrasi μίαν σαββάτων pro πρώτην, dicit παραβέβητος τὸ μίαν σημαίνει πρώτην.

49. In textu Syriaco legitur: Δ Δ Δ Δ Math. 26. vers. 26. Ubi pronomen Δ cum altero Δ in unum

coactu.

coaluit. Non enim tantum pronuntiatione coalescunt; sed & scriptione Pronomina Syriaca personalia, ut monet Excell. Philologus M. Sennertus, Præceptor atq; Patronus meus omni honoris cultu prosequendus in Gram. Syr. p. 62. 63. Jam vero illud Pronomen valet verbum substantivum EST, ut Idem habet dicto loco & Dilher. in Eclog. p. 175. Et si Exempla desideras, Ebræum dat Gen. 3. v. 11. כִּי עִירָם אֲנֹכִי V. Cl. Senn. Gram. Ebr. p. 147. Chaldaicum Esdr. 5. v. 11. עֲבָרְוּהִי הַמֹּו אֲנִי־חַנָּן quod LXX. ita reddiderunt: ὑμεῖς ἔσμεν δοῦλοι. Sic Syri loquuntur, vid. Ampl. Senn. p. 62. Et Dilh. in Ecl. p. 279. Exemplum Gal. 3. v. 11. legitur אֲנִי־הוּא vera est. In Arabica etiam lingua tertiæ personæ pronomen pro verbo substantivo poni, testem laudo Erpen. Rud. p. 146.

50. Tandem, quod maximum, tale etiam verbum in Syriacis legitur, quod notat τὸ significat, vid. τὸ ܐܘܢ V. Crin. in Lex. p. 364. Trost. p. 608. Sic Arabes quoq; habet, عندى unde عندى quod præter. 4. Conj. est & Proverbiis sæpè postponitur, idemq; notat, quod τὸ significat, & ortum habet ex Ebræo עָנָה quod significat, respondet: nec tamen illud verbum in Versione arabica h. l. legitur.

51. Ex quibus patet omnibus falsam esse Empereur sententiam, qua probare satagit olim verbum exprimens valorem τὸ significat orientales non habuisse, & propterea adhitum ubique & hoc in loco τὸ EST.

52. Et quid amplius multis hæc de re, dum ex ipsis non unus nostram sententiam veram esse statuat? Sic Altsted. Potest autè inquit, Copula Est tantum sustinere ironiam & solum poni potest, pro suo contrario non est. Quæ licet non approbemus, inquit Theol. summus D. Calov. id tamen acceptamus, quod nullum alium tropum sustinere possit copula.

53. Vidimus itaque ita hætenus τὸ Est explicationem Calvinisticam, paucis etiam de Papistica quid monebimus.

54. Papistica hujus verbi explicatio, ut apud Meisnerum legere est part. 2. Phil. sobr. quæst. 9. sect. 2. Log. p. 637, talis est, quando dicunt idem valere, quod continetur, quod fit, quod erit, quod convertitur, vel transit in Corpus Christi, vel transmutatur, ut Transsubstantiationis doctrina etiam robur ex hoc sumat vocabulo.

55. At dum idem Ipsis τὸ Est, quod continetur, inquit B. Meisnerus d.l. pervertunt naturalem verborum ordinem, & constructionem, ex subjecto facientes prædicatum & contra. Nam cum Thomâ sic resolvunt: sub his speciebus est vel continetur corpus meum. Hanc vero glossam nullus Grammaticorum aliter construere, nullus è Logicis aliter ordinare potest, quam ita: Corpus meum est vel continetur sub his speciebus, quo pacto corpus fit subjectum, quod in verbis est prædicatum, & contra demonstrativum refertur ad ipsum prædicatum.

56. Si ipsi etiam τὸ Est per fit, per convertitur explicant. Sed ita etiam τὸ Est desinit esse copula, & fit pars prædicati. Dehinc nec semel ita usurpatum legi τὸ Est meminimus. Et quomodo, Res quæ manet eadem, eo ipso dum talis manet, mutari potest. Manet Panis, nec mutatur, ut volunt, physicè. Quod exinde patet, dum accidentia Panis, quæ sine subjecto esse nequeant, adsint. Accidentia subjecto sustentante indigent. Qui ergo dixerit, Accidentia Panis per se subsistere, ille cōtradictionibus se implicat.

57. Excipit Bellarminus & dicit, fuisse etiam lucem primigeniam accidens & tamen sine substantia & subjecto fuisse. Resp. Neg. fuisse accidens. Fuit enim terminus Creationis. V. Clar. Philosophus Dn. Sperling in Instit. Phys.

58. Tantum de significatione τὸ Est. Restat, ut quid sit τὸ Est quæramus & investigemus. Sequitur itaq; Discursus Logici.

SECTIO III. de Quidditate Copulæ Est.

1. Et istud caput κατὰ κενωτικῶς & ἀνασθενωτικῶς tractaturi sumus; proposituri primo quid non sit, & subjecturi brevissimis quid sit.

D

2. Va-

2. Variè verò à variis definitur. Alii dicunt esse prædicatum formale, alii partem Essentialem, alii partem prædicati, quæ adhuc sunt expedienda.

3. De primo primùm. Distinctionem sc. faciunt inter *materiale*, quod mediante copula dicitur de subjecto, & *materiale* ea propter dicitur, quod ei conveniat proprietas materiae, quæ est pati, refundi s. retorqueri in subjectum tanquam terminum ut est, τὸ animal, in hâc Propositione, : Homo est animal, & *formale*, quod dicunt esse verbum Est, ita dictum, quat. opponitur non subjecto; sed prædicato materiali, cum quo unum prædicatum formale totale constituit, cuius actus est reducere unum ad aliud, ac retorquere rem prædicatam in subjectum. Ita discurret Smiglec. disp. 12. log. quæst. 6.

4. Sed reponimus, quomodo istud prædicati materialis nomen habere potest, quod verbi naturam non habet; sed nomen nudum est e. gr. in hac Propositione, Homo est animal. Ibi Animal solitariè sumtum verbum non est, dum non adsignificet tempus, nec copulet sed copuletur.

5. Nec τὸ Est solitariè acceptum in Eadem Propositione prædicatum est, quia nullam rem significat, nec est pars seorsim propositionis ut probabimus, quat. scil. est *σὺνδυστάσιον* V. venerandus Fac. Theol. Senior D. Scharf. in Instit. log. p. 266.

6. Quare, cum laudato nostro Præceptore concludimus, rectius illos statuere, qui in hâc Propositione, ; Homo est animal, τὸ Est pertinere dicunt ad prædicatum totale, ut integrum Prædicatum sit, Est animal.

7. Ab istis non multum discedunt Zach. Ursin. & Phil. Melancht. quid dicunt verbum Est in propositionibus tertii adjecti esse partem tertiam Essentialem Enunciationis à Subjecto & Prædicato distinctam. Hinc quando Enunciatio tertii adjecti in sua, ex quibus constat resolvitur ab iis, verbum Est tanquam nudam copulam divellunt prorsus à prædicato e. gr. quando dico: Homo est animal dicunt subjectum esse *Homo*, Animal prædicatum, τὸ Est, copulam.

8. Verum aliter sentiunt saniores Logici, Grawerus, Jac. Mart.

Mart. Excell. D. Scharfius, Gutkuis & alii. Et certe absurda non pauca ex ista sententia profluerent, si isti indulgeremus. Certe enim nomen nudum verbum esset dicendum, & sic confusio verbi & Nominis oriretur. Dicant mihi, si possunt, quæ distinctio inter subjectum & Prædicatum, Homo & Animal, utrumque nomen est dum utriq; illa, quæ Nominis sunt, competant.

9. Hinc recte Arniseus in not. ad Log. Crell. l. 2. c. 1. Copula non est pars Enunciationis distincta à prædicato & subjecto; sed coalescit & concrecit cum prædicato, quod conspicuè apparet ex mutatione ternariarum propositionum in binariam. Nam si hanc: Petrus est sciens, mutaris in istam: Petrus scit, conspicuè patet vim & significationem copulæ includi in verbo, in quod mutatum erat prædicatum cum copulâ.

10. Immo si esset Pars Enunciationis à prædicato distincta, in omni Syllogismo esset quatuor termini, itemq; unus terminus proponeretur in uno syllogismo, quod fieri non potest, nec debet in legitimo syllogismo. V. Meisn. p. 194 Ph. sobr.

11. Tandem illa est pars Enunciationis categoricæ essentialis sine qua nunquam potest illa effici. Sed multæ Enunciationes sine copula effici possunt. Quod patet in iis, quæ aliis verbis præsertim adjectivis absolvuntur.

12. Obijciunt verbum Est in propositionibus ternariis non mutat suam significationem nec perdit, Ergo si sine appositione τὸ est prædicatum & pars est, & significat quid etiam cū apposito tale erit. Resp. omnino concretè sumtum & ἰπαγετικῶς τὸ Est prædicatum est, & pars Enunciationis Essentialis, non vero si copulativè. Itaq; quando est ex numero τῶν κενυμένων, qualia sunt subjectum & prædicatum, Est, Propositionis pars est, non ita, quando non est, & solitariè accipitur pro nexu partium.

13. Probatum in genere est, τὸ Est non esse partem Essentialem Enunciationis, superest, ut in specie, dum duæ sint partes Essentiales, materia & forma illud neq; partem formalem neq; materialem esse asseramus. Quod etiam eò facilius exequemur, dum jam toto remoto, etiam sua spôte corruant partes.

14. Non est $\tau\delta$ Est pars Enunciationis materialis, quia nec est subjectum, nec prädicatum, quæ ita dicuntur. V. D. Scarff. in Instit. Log. p. 255. Nullam enim rem denotat in Enunciatione; sed res nude & simpliciter conjungi vel separari facit. Et quemadmodum rerum identitas s. habitudo ad se invicem non est pars rerum; sed tantum forma accidentalis & relatio quædam; sic quoq; Copula; quæ est copula, nullo modo pars positiva vel prædicati vel subjecti est; sed tantum nota quædam relationis & unionis, quæ est inter subjectum & prædicatum, undè quoq; fit, ut pro diversitate habitudinis ad prædicatum copula diversam obtineat vim copulandi. Nam ita res copulat, quales sunt, & qualem identitatem ad se invicem habent.

15. Proinde si habitudo terminorum materialium est necessaria, tunc quoq; Copula nota habitudinis necessaria est. Si v respectus prædicati & Subjecti vel accidentalis, vel figuratus, vel analogicus, vel alio modo se habens, tunc quoq; Copula eandem notat Habitudinē. Copula Est, in propositionibus synonymicis v.g. Homo est animal, Essentiā: in Paronymicis Existentiā notat. Alia designat quando termini privati adhibentur, ut q. d. homo est cæcus, aliud in figmentis ut q. d. Chimæra est non Ens.

16. Et inde quoq; est, quod copula nullam affectionem principalem, quod Enunciationibus contingit, sustineat, quod ex conversione & oppositione apparet. Siquidem ibi Copula semper invariata manet, & nullam omnino recipit mutationē. e. gr. detur propositio hæc convertenda simpliciter: Homo est animal, & ibi Est esset pars prædicati, tunc in conversâ esset pars subjecti & sic esset $\tau\delta$ Est pars materialis, non formalis tantum. v. Reg. p. 38. disp. log. l. 3.

17. Unde concludimus etiam, quod $\tau\delta$ Fuit; Erat, Erit & cæteri casus hujus verbi non sint copulæ; sed pertineant ad prædicatum & denotent $\nu\pi\alpha\epsilon\zeta\omega$ e. gr. in hæc Propositione: Senex fuit Juvenis. Nam hoc optimè conspicitur ex conversione, in qua manente copulâ, subjectum loco prædicati & prædicatum loco subjecti ponitur. Hoc non potest fieri in talibus propositionibus si fuit vel erit pro copulâ sumantur. v. g. in ista

Pro.

Propositione: Meretrix fuit Virgō, τὸ fuit copula non est; sic nec
in hac τὸ Erit, quando dico: Juvenis erit senex, quod ex reso-
lutione & conversione harum Propositionum videre est. Re-
solvuntur data ita: Meretrix est illa, quæ fuit Virgo, Juvenis
est ille, qui erit senex, & convertuntur. Ergo quidam qui erit
senex est juvenis, & quædam quæ fuit virgo est Meretrix. Ex
quo conspicitur istos verbi casus nomen cum τὸ Est Copulæ nu-
dæ non obtinere.

18. Nec deniq; est pars materialis. Quia materia pro-
positionis semper sumitur ex duobus Dialecticæ locis veluti ut
contineat dispositionem cursæ & Effectu Subjecti & adjuncti,
duorum oppositorum, duorum similium &c. Atqui copula
in resolutione axiomaticâ non refertur ad locum dialecticum.
Ergo. V. Scheibl. tract. log. de Prop. part. III. op. log. p. 537.

19. Nec etiam τὸ Est est Enunciationis Logicæ forma. In
Entibus aggregatis forma alia non est, quam materialium par-
tium congregatio. Unde consequens est, etiam propositionis
formam non posse esse aliam, quam aggregationem subjecti &
prædicati. Atqui copula non est ipsa aggregatio vel copulatio;
sed tantum est aliquid quò mediante uniantur partes Proposi-
tionis. Recte B. Meisn. Forma Enunciationis est conjunctio
vel divisio subjecti & prædicati, quæ non est ipsa copula, licet
hæc ipsius sit nota seu signum.

20. Dehinc sine illâ Copulâ multæ fiunt Enunciationes,
ut supra demonstratum. Quod si vero forma esset ejusdem,
abesse non posset. Recte D. Danhaw. in syll. 3. can. 2. inquit,
τὸ Est non est pars, quia pars, debet actu poni in toto; sed copu-
la non semper ponitur actu sed non rarò implicatur.

21. Loquimur vero ut ubiq; fermè, de copula abstractò
sumtâ pro ipsa copulatione subjecti & prædicati, non concretè
de verbo copulante. Et sic negamus & pernegamus copulam
esse Enunciationis formam.

22. Obj. contra nostram hancce sententiam Goelen. p. 2.
Log. probl. 20. & dicit: ut vinculum copulationis vel disjun-
ctionis est principalis forma, & causa enunciatæ multiplicis.
Sic copula verbalis est velut anima simplicis.

23. Sed regerimus, prius quod proponit, esse adhuc *ἁπλοῦς* & controversum num. τὸ ET, AUT, &c. sint forma propositionis multiplicis *συνθετικῆς* dicuntur, non forma. Dum quandoq; etiam omittantur, salva propositione multiplici, quo modo forma illius dicenda sunt? verb. g. q. d. Equus, Leo, Asinus, homo sunt animalia, quæ Enunciatio composita dicitur, & suam habet formam, ut ut istæ particulæ non adsint. Et licet *ἁπλοῦς* & dicatur, ut distinguatur à propositione composita *συνθετικῆς* non tamen genus & Nomen propositionis compositæ de eadem negatur. V. D. Höpfn. in Comm. p. 501.

24. Nec vinculum istud semper est causa Enunciati multiplicis. Philosophus vocat Enunciationem eam unam, quæ unum, certum minimèq; ambiguum generat sensum, vel si plura simul jungat conjunctione. Una ipsi est, q. d. Socrates est doctus & prudens, ut ut τὸ ET ibi habeatur.

25. Notandum proinde est, quod unitas illa non ex numero vocum; sed ex unitate rei significatæ sit æstimanda. Possunt enim voces plurimæ sæpe numero rem unam circū scribere, nihilo tamen minus dicitur una Enunciatio propter unitatem rei. Enunciatio multiplex dicitur propter significationem, quæ ob vocum ambiguitatem varia est & multiplex. e. gr. Non malum in Civitate est, quod non fecit Dominus, vel propter congeriem diversorum tum prædicatorum tum subjectorum, quæ fit nullâ intercedente copulâ. e. gr. Homerus est Poëta, vinosus. Aristoteles fuit Ethnicus insignis philosophus, Alex. M. Præceptor.

26. Pergit Goclenius, & adducta declarat similibus. Primum ex Mechanicis petitum: Rectius, inquit, fortassis comparaveris copulam ligamento sutori immisso per foramen factum per subulam instrumentum perforans corium. Hoc adstrigmentum, ut ut non est solea, nec obstragulum; sed medium & vinculum horum ad formam calcei perficiendam, & ita fit pars Calcei: Ita τὸ Est neq; est subjectum, neq; predicatum; sed horum nexus ad formam Enunciati absolvendam, & ita fit pars Enunciati. Alterum est physicum. Vel etiam comparaveris, pergit, τὸ Est, vinculo animæ & Corporis Spiritui vitali.

vitali. Hic neq; ipse Animus est, neq; corpus; sed medium u-
nionis. V. Eund. p. 430.

27. Sed regeritur in genere primum: Ista argumenta à si-
mili esse petita; & hinc non esse multum valoris. Quod respō-
sum. Ipse Goclenius sibi circa finem hujus problematis dare vi-
detur: Libenter, inquit, his similibus utor; quæ etsi non vim
habent demonstrandi, illustrant tamen, & vero similiter pro-
bant. Cum vento destitutus es, remis navis est propellenda,
& ad cursum secundarium confugiendum: Sic cum apodictica
se deficiunt, verisimilibus argumentis utendum est.

28. Dehinc reponimus Instantiam, ut majoris particula-
ritas appareat, nempe consensus contrahentium est vinculum
matrimonii nec tamen pars est. Hæc enim unus mas & fami-
na esse putantur. Nec forma est. Hæc enim obligatio dici-
tur.

29. Tandem distinctio probè notetur, quam dat ipse B.
Meisn. d. l. inter totum substantiale, accidentale & notional.
Concedimus totius substantialis vincula esse simul partes, quia
substantiæ sunt, non item totius accidentalis, quod probat In-
stantia. Totum vero notionale ita se habet, ut ejus pars nihil
sit, nisi quod notio est. Pars enim & totum toto genere non
discrepant: Sicut igitur in reali toto omnes partes oportet esse
veras res: ita in notionali partes oportet esse notiones. Vincu-
lum vero non est notio. Nullius enim Entis imago est, nihil
significat; sed significantes notiones connectit. V. D. Meisn.

30. Postillâ nec pars integralis est ista Copula. Om-
nis pars Integralis est pars materialis. Ast hujusmodi non est
verbum hoc dū materiales partes connectit. Si jam pars esset
materialis seipsum connecteret simul, atque ita copulans & co-
pulatum confunderetur.

31. Tractata hæcenus est quæstio, quod Copula Est non
sit pars Propositionis, relinquatur tractandum, quod etiam non
sit pars Prædicati, vel pars partis, ut vult Ramus & Talæus.

32. Concludimus ita: Si copula est pars prædicati, erit
etiam pars totius Enunciationis. Quicquid enim est pars par-
tis est etiam pars totius, ut Logici loquuntur. Sed non est totius
Enunciationis pars, quod hæcenus evictum. Ergo nec partis.

33. In-

33. Insuper si esset pars prædicati copula, tunc omnes prædicationes essent negationes, v.g. si dicerem: homo, est animal: tunc quia Ens includitur in animali, & per se de ipso intelligitur: & porro si τὸ Est esset pars illius prædicati, tunc etiam diceret quod sit Ens, & erit hic sensus: homo est Ens, quod Ens est animal. Ergo nec pars prædicati dicenda.

34. Ἄρσιν vidimus, sequitur nunc nostra Thesis: Ubi dicimus Copulam esse requisitum necessarium Enunciationis non partem ut audivimus, distincta enim hæc duo sunt. Ut enim universales & particulares Enunciationes non possunt esse sine signo universali & particulari, signa tamen partes non sunt, ut ut demto illo pereat propositionis universalitas: sic vinculum Est tale necessarium Enunciationis Requisite est quo connectuntur partes propositionis. Plura hic proponere cautio nobis est, dum hæctenus eò ipso quo refutavimus adversarios sufficienter quid Copula sit diximus.

35. Ageremus etiam de numero copularum, & inquiremus quot dentur in Propositione, num tres, num duæ num una. Sed dum ista sententia, quæ tres statuit copulas dudum à nostro Theol. Pl. Reverendo D. Scharfio sit rejecta, explora, easq; copulas esse nugatorias, non necessarias semper, nec universales; sed accidentarias, alienas, particulares, demonstratum, & chartæ angustia etiam prohibeat longius ire, itaq; à me si quis plenior expetet dictorum enodationem respondebit illud, quod ex Xenophontis familia accersam, ubi mellitissimus Autor: Si à me, inquit, quis Ignem aut Aquam forte non habente poposcerit, locum unde hauriat, ostendam. Vid. Itaque solum τὸ πρῶτο Vener. Senior. Theol. D. Scharf. in Manualis Logici Capite & fine.

SOLI DEO GLORIA.

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








25

JESU!
LOGICA
IOR
EST.
S
IS VICCIUS
nsis,
NS
IRSTENIUS
fis,
ditis proponunt.
Minori
ris pomeridianis.
GÆ
ÖHNERI Acad. Typogr.
3.